



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Quod recordatio vulnerum Christi est efficax remedium contra omnes
adversitates, 23

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

tam ad mortem amarum, quod morte Christi non sanetur. Tota spes mea est in morte Domini mei. Mors ejus, meritum meum & refugium meum, salus, vita, & resurrectio mea: meritum meum, miseratio Domini. Non sum meriti inops, quamdiu ille miserationum Dominus non defuerit. Et si misericordiae Domini multae, multus ego sum in meritis. Quanto ille potentior est ad salvandum, tanto ego sum securior.

CAPVT XXIII.

Quod recordatio vulnerum Christi est efficax remedium contra omnes adversitates.

I. **P**ECCAVI peccatum grande, & multorum sum mihi conscius delictorum. Nec sic despero, quoniam ubi abundaverunt delicta, superabundavit & gratia. Qui de venia peccatorum suorum desperat, negat Deum esse misericordem. Magnam injuriam Deo facit, qui de ejus misericordia diffidit. Quantum in se est, negat Deum habere charitatem, veritatem & potestatem, in quibus tota spes mea consistit: scilicet in charitate adoptionis, in veritate promissionis, & in potestate redemptionis. Murmuret jam quantum voluerit, insipiens cogitatio mea, dicens: Quis enim es tu? & quanta est gloria illa, quibusve meritis illam obtinere speras? Et ego fiducialiter respondebo: Scio cui credidi; qua charitate nimia adoptavit me in filium: quia verax est in promissione, potens in exhibitione, & licet ei facere, quod vult.

P

2. Non

2. Non possum terreri multitudine peccatorum, si mors Domini in mentem meam venerit; quoniam peccata mea illum vincere non possunt. Clavi & lancea clamant mihi, quod vere reconciliatus sum Christo, si eum amavero. Longinus aperuit mihi latus Christi lancea, & ego intravi, & ibi requiesco securus. Qui timet, amet: quoniam charitas foras mittit timorem. Nullum tam potens est, & tam efficax contra ardorem libidinis medicamentum, quam mors Redemptoris mei. Extendit brachia sua in cruce, & expandit manus suas, paratus in amplexus peccatorum. inter brachia Salvatoris mei & vivere volo, & mori cupio. Ibi securus decantabo: Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. Salvator noster caput inclinavit in morte, ut oscula daret suis dilectis. Toties Deum osculamur, quoties in ejus amore compungimur.

C A P V T XXIV.

Meditatio anima ad amorem Christi.

I. **O** Anima mea, insignita Dei imagine, redempta Christi sanguine, desponsata fide, dotata spiritu, ornata virtutibus, deputata cum Angelis! Dilige illum, à quo tantum dilecta es. Intende illi, qui intendit tibi. Quare quarentem te. Ama amatorem tui, à quo amaris: cujus amore præventa es, qui est causa amoris tui. Ipse est meritum, ipse præmium, ipse fructus, ipse usus, ipse finis. Esto sollicita cum sollicito, cum vacante